

Justus Christoph Schomer

**Programma, Quo Rector Universitatis Rostochiensis Iustus Christophorus Schomerus, S. Theol. D. & Prof. Prim. communis ... Ad Sanctam Pentecosten cum ecclesia Dei pie & religiose celebrandam Omnes Academiae Cives pro officii ratione sedulo exhortatur [P.P. Sub Sigillo Rectoratus ipso Pentecostes die, anno M DC LXXXVII.]**

Rostochii: Wepplingius, [1687]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn742501256>

Druck Freier  Zugang





T. 512.

—

1687. Pfingst.

~~M. 1256.~~<sup>49.</sup>

1687.

PROGRAMMA;

QVO

RECTOR

UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS

JUSTUS CHRISTOPHORUS SCHOMERUS,

S, Theol. D. & Prof. Prim. communis

Sereniff. Ducum Consistorii hoc anno Director,

Superintendens Mecklenburgensis

Ad



SANCTAM

PENTE-

COSTEN

cum ecclesiâ DEI

piè & religiosè celebrandam

Omnes Academia Cives pro officii ratione  
sedulo exhortatur.

Rostochl, Typis JOH. WEPPLINGII, Univ. Typogr.

M. 1256 49



Ntiqua & augusta est Pentecostes solennitas, quam à lege Mosaicâ & priscis populi Israëlitiçi moribus augustiore miraculo immutatam ad se derivavit Christianorum Ecclesia. In hoc festo utriusqve testamenti divini memoria distinguitur, quo eodem & ex monte Sinâ detonuissè creditur vox divina, quæ tabulis lapideis inscripta est, & cœlitus depluit ignea vis Spiritus S. in animos atq; linguas Apostolorum palam spectante omni populo delapsi: atq; ita eodem anni tempore, quo exortum est ministerium literæ, quæ occidit (ut Apostolo dicitur) etiam cœpit ministerium spiritus qui vivificat, ut in his latæ legis & Evangelii per orbem terrarum prædicati initiis, quanto splendore vetus testamentum à novo superetur, quantumque post primum terrorem legis beneficium in humanum genus hoc altero præconio collatum sit; uberrimè intelligeretur. Quanquam enim laxa & ambigua temporis descriptio, quæ de latâ legè apud Mosen capite decimo nono Exodi extat, constantem illam veterum & recentiorum interpretum traditionem vario certamine involvit, & ipsa Pentecostes divina institutio, quæ aliquoties in Pentateucho recurrit, ne verbo quidem meminit, quòd factæ legislationis annuâ Deus celebrationè in eò esse velit, certum tamen est, ita propè se contingere utrumque temporis terminum, ut in altero alterius recordatio rectè instituat. Etenim ex quo agitata quondam quæstio de Paschatis Christiani die ex Victoris & Romanæ ecclesiæ sententiâ definita est, magis etiam postquam circuli lunaris error, cum longâ annorum serie semper magis excrecens, calendarium turbavit, nec eodem die nobis hæc sacra recurrunt, quo Judæis, nec effusi Spiritus S. miraculum quod in pentecoste, utique Judaicâ, contigit, eodem anni tempore celebramus: at quia eodem tamen hebdomadam intervallo à mobili paschalis festi termino, eodemqve nomine appellata & ad ejusdem dici memoriam directa

cta

ta retinemus, non patimur in scrupuloso motuum siderorum calculo anniversarii festi veritatem nobis extinguere. Pentecoste dicitur à quinquaginta diebus post secundam paschatos numeratis & festum septimanum, quod post sexies septem dies ejus oriatur. Unde impletus esse dicitur dies pentecostes in historiâ hodierni miraculi, cum numerus dierum, à quibus ejus supputatio pendebat, impletus esset. Apud veteres Christianos mutatâ quondam vocis significatione omne illud tempus quinquaginta dierum, quod inter festum resurrectionis Christi & effusi Spiritus S. intercipitur, pentecoste appellari solebat, quemadmodum Epiphanius in Expositione fidei cap. xxii. quinquaginta dies pentecostes numerat, & in panario hæresi Ll. Christum sub finem pentecostes se in cœlestia intulisse patri, dicit, ascensione scilicet in cœlos factâ. Sic in canone XXXVII. eorum, qui Apostolici vulgò ob incertam collectionis originem vocantur, nec non unde hic exscriptus esse videtur, canone XX. Antiocheno quarta septimana pentecostæ numeratur, quæ sequatur tertiam à festo paschatis: & caractere suo notabatur apud Græcos μεσοπεντηκστή, seu media pentecostes, quæ erat XXV. dies post idem festum resurrectionis. Quæ appellatio horum dierum à Tertulliani ævo ad seculum usq; nonnî vel undecimum potius, & ultra perstitit, ita ut in ordine Romano, qui hodie extat, his verbis definiatur: *Tempus pentecostes incipit à primâ die resurrectionis, & currit usq; ad diem quinquagesimum post pascha.* Contextas quinquaginta diebus ferias Hieronymus vocat, cum ad Lucinium scribit, quæ omnes Christianis sacræ erant, in figurâ quietis & lætitiæ celebratæ, juxta Augustini phrasin, epistola CXIX. ad Januarium, & in publico quodam gaudio, ut innuit Tertullianus, ubi de coronâ militis disputat. Non jejunare his diebus, non genua flectere solebant in recitatis precibus, quod Epiphanius in expositione fidei, & adversus Luciferianos Hieronymus cum multis aliis testantur. Quamvis enim utraque illa disciplina ecclesiæ aliàs frequentissima & tantum non quotidiana fuerit, sicut tamen dominicum & alios festos dies, tanquam lætis prosperisque Dei laudibus dedicatos vetustas ab illâ humiliatione exempt, ita & hoc omne tempus quasi continuum aliquod festum & qua-

si unum perpetuum diem dominicum, ut loquitur Balsamon; pa-  
riter inde voluit eximere. Videbatur enim admonitio aliqua re-  
surrectionis esse in illis hebdomadibus, & imago futuri seculi,  
quod expectamus; quæ cum à primo die incipiunt & in primum  
desinunt, quinquies interea suo ordine revolutæ, in motu hoc  
circulari æternitatem quædam similitudine referunt, quemadmo-  
dum eâ de re philosophatur Basilius capite XXVII. ad Amphilo-  
chium. Cujusmodi in numeris mysteria plura persequitur & in  
pentecosten cumulat Augustinus in eadem, quam ante laudavi-  
mus, ad Januarium epistolâ. Enimverò quicquid sit de aliis  
longius quæritis allegoriis, id certum est, Christum quo tempore  
post gloriosam resurrectionem his in terris substitit, tantum ut  
veritatem ejus interea fortius confirmaret; causam etiam nobis  
dedisse, ut quoties illud intervallum ecclesiæ recurrit, de nostrâ  
aliquando *παλιγγενεσία* ut verâ fide exultaremus. Ad quem  
dierum cumulum facile & illi adjecti sunt, qui ad effusi Spiritus  
S. festum restabant, ut memoria præteritæ cum gaudio futuræ  
solemnitatis conjungeretur. Præsertim cum videamus Ambrosi-  
um, vel quisquis auctor est Sermonis LX. in eo errore esse, ut  
Christum totos quinquaginta dies, postquam à mortuis resurre-  
xit, in his terris fuisse arbitretur. Sic igitur quadragesimæ je-  
juniis hanc quinquagesimæ lætitiâ opponunt, ut qui moram  
illam, quâ cum sponso triumphante quondam versabantur disci-  
puli, & ipsi erectâ mente atque corpore sine supplicationibus  
faustum lætumq; habeant. Itaq; & in celeberrimo Nicæano con-  
cilio, quod œcumenicum primum appellamus, canone ultimo  
statutum est, ut stantes Deo orationes fundant fideles non minus  
pentecostes diebus, quàm dominico. Quamquam ut contra hunc  
morem ecclesiæ quosdam tunc peccasse, innuit idem canon, ita  
& Augustinus, num idem ubique obtineat se ignorare profitetur.  
Ad hanc quoque lætitiâ pertinet decantatum, teste Augustino,  
vel unice vel certè maxime omnibus illis diebus Alleluja Hebrai-  
cum, quo ut in paschate judæi, ita Christiani in pentecoste hac,  
teu productâ pascali celebratione, volebant festi magnitudinem  
& effusas in laudem Dei mentes publicè significare. Pertinet  
eodem baptismi quoque publici frequentia, cujus hoc tempore  
stata & solennis solebat esse administratio, cum omnes, quos in-  
firmi

firmitas corporis non cogebat salutare Sacramentum anticipare,  
ad usq; sanctam paschatis hebdomadam & sequentem penteco-  
sten iuberentur expectare. Quibus diebus maximus eorum  
numerus, qui hujus sacrae initiationis candidatierant, undiqve  
confluens, & per longa terrae marisq; spatia difficili saepe itinere li-  
beros adducens (*conf. Gregorius Naz. orat. 40. in S. bapt. & Job. Mos-  
schus in praeo spirituali*) cum praesertim baptisteria rariora essent,  
nec baptizandi jus omnibus concessum, ingenti splendore exul-  
tantis ecclesiae jubila exornavit, Causam ejus rei exponit Tertulli-  
anus, ita fatus de baptismo cap. XIX. *diem baptismo solenniore*  
*pascha praestat, cum & passio Domini, in quam tingimur, adimpleta est.*  
*Exinde pentecoste ordinandi lavacris latissimum spatium est* (quinqua-  
ginta scilicet a paschate dierum, quos nomine pentecostes intel-  
ligit) *quo & Domini resurrectio inter discipulos frequentata est, & gra-  
tia Spiritus S. dedicata, & spes adventus Domini subossensa.* Nimi-  
rum ut baptismi undis caput eluentes imitationem habemus re-  
surgentis Christi, teste ipso Paulo, & in eodem Spiritu S. dona-  
mur, ita conveniens visum est, ut quo tempore mortis & re-  
surrectionis Christi memoria in ecclesiam celebratur, & missi post  
ascensionem ejus Spiritus S. illud quoq; tantorum mysteriorum  
nos communionem donans sacramentum solenniter celebrare ur-  
Atque id ita strictè observatum esse animadvertimus, ut cum in  
aliis quoq; festis idem fieri coepisset, id prohibitum saepe sit &  
res ad priscam consuetudinem revocata. Emendandam vocat  
consuetudinem Siricius Papa, quae a quibusdam solà temeri-  
tate praesumatur, ut passim ac liberè natalitii Christi, & apostolo-  
rum seu martyrum festivitibus innumeræ plebes baptismi my-  
sterium consequantur, cum hoc sibi privilegium apud omnes  
ecclesias dominicum specialiter cum pentecoste sua pascha de-  
fendat, quibus solis per annum diebus baptisma tradi conveniat.  
Cui succenturiantur Léo, Gelasius, Gregorius M. Concilia varia  
Galliae, & Regum capitula; omnia in id enisa, ut suum tum pa-  
schati, tum quae ab illo pendet, pentecostae privilegium honoris  
& laetitia supra omnia alia tempora asserant. Decurrens igitur  
per omne hoc intervallum ovatio ecclesiae, ut in initio suo ma-  
jore solennitate coepit, ita & solennioris pompae exitum nacta  
est. Maximam solennitatem veneranda & sacratissima pente-  
X 3costae



costa, septeno hebdomadam numero ornatam, unitate obsignari, inquit Eusebius, ubi mortem Constantini Imperatoris exponit; & sic pentecosten pro una die accipit Evagrius, cum a Theodosio dictam synodo. esse narrat τὴν ἁγίαν πεντηχοστὴν ἡμέραν sanctam quinquagesimam, vel pentecosten diem, quâ vivificus ad nos Spiritus Dei descendit. Testantur plurimæ patrum homiliae, quæ in pretio illum diem, & quâ speciali reverentiâ ac miraculi divini commemoratione dignum æstimarint. Quin & vetus Eliberide in Hispaniâ collecta Synodus ejus observationem gravissimâ sanctione munit c. XLIII. *pravam institutionem emendare placuit juxta auctoritatem Scripturarum, ut cuncti diem pentecosten celebrent, quod qui non fecerit, quasi novam hæresin induxisse notetur.* In hunc postremum diuturnioris festi diem facillè omnis populi religio & baptismatis ceremonia, quæ hæctenus per totum reliquum tempus sparsa fuerat, quasi in cumulum aliquem conjiciebatur, occurrentibus frequentiore numero illis, quos patens antea laxior temporis ambitus ad claudendi tunc demum fontis usum tardius invitaverat. Quales tardiorum excusationes, terminum semper ulteriorem expectantium, refert Gregorius Nazianzenus eadem, quam jam ante laudavimus, oratione. Unde pro uno solenni baptismi tempore duo ejus sæpè termini extiterunt, vigiliæ paschatis & vigiliæ hujus quinquagesimæ diei, quæ specialiter pentecoste dicitur. Ita Gregorius Turonensis unâ nocte, quâ hujus pentecosten vigiliæ celebrabantur, quingentos judæos, fidem Christianam amplexos, baptismate ablutos esse narrat, & alibi, filium, qui Childeberto Regi natus erat in ipso festo paschatis, baptismum in die sancto pentecosten accepisse. Johannes Chrysostomus etiam cum effusionem Spiritus S. hoc solenni die meditatur, eundem & in suis esse probat, quod hac sacrâ nocte baptizati sint, qui à peccatis sint liberati. Expungente sic paulatim unius diei frequentiore celebratione præcedente omnium ferias, successit tandem in illarum locum Octava pentecosten, post terminum antea fixum octo dierum continuis feriis prorogata. Ejus documenta habemus jam in Sacramentario Gregorii, quanquam incertum an interpolationi alienæ potius quàm primo libri auctori accepta ferenda; seculi tamen IX. & sequentium scriptoribus nota. Ex quâ octavâ


Octavâ pentecostes natum esse postea privatorum quorundam studiis festum S. Trinitatis, tum ex Micrologo tum ex Alexandri III. rescripto c. 2. de feriis patet. Unde factum esse videtur, ut Honorius Augustodunensis seculi XIII. scriptor, suo tempore non nisi septem diebus pentecostem celebrari scripserit, quod nempe octavus S. Trinitati jam sacer esset. Mentio septem festorum dierum pentecostæ adjectorum etiam fit in constitutionibus pseudapostolicis, quos altera jejunii hebdomas deinde excipiat; sed quos fortè speciali cuidam ejus ecclesiæ consuetudini, in quâ vixit ille impostor, qui Clementis Romani nomen illi mentitus est, magis quàm universaliter receptæ debet, cum ex Athanasii Apologiâ ad Constantium Imperatorem constet, quòd in ipsâ hebdomade post sacram pentecostem populus jejunaverit, sequente dominico die imperum militis expertus. Cumq; recentiores Græci in ipsâ vespérâ ejus diei, qui propriâ vocis significatione pencecoste nobisq; sacer est, repente abrupto omni hymnorum & festi gaudio flexos in terram poplites ad supplicationes & pœnitentiæ exercitia demittunt, Blaſtares monachus id à Basilio Cæsarensi, magno Græcis ceremoniarum auctore deducit, qui eâ ratione Spiritus S. Deitatem & dominatum venerari se docuerit, hoc tamen reperto in publicâ exultatione humiliationis temperamento, ne horâ diei tertiâ, quâ Spiritus S. super Apostolos advenit, hæ supplices preces fierent, sed vespertinâ illâ, quâ hic sanctus dies secundùm Græcum computandi morem jam creditur finitus esse. Desiit igitur apud Græcos pentecoste & olim & nunc in ipso quinquagesimo post festum resurrectionis die, apud Latinos quidem mediæ ætatis protracta in sequentes hebdomadis dies, sed & ipsos postea interceptos. Cum enim æstivum quatuor temporum jejunium, vario ecclesiarum arbitrio vagatum hæctenus auctoritate tandem canonis Arvernensis & ex sententiâ Gebhardi Halberstadenſis episcopi in Synodo quâdam Constantiæ habitâ (ut eruditè docet Sirmondus Jesuita) paulatim cœpisset ad feriam quartam hebdomadis pentecostalis affigi, non potuit non octavam pentecostes iterum fecare, ut hodieque illa secta atque truncata servatur. Post varias has temporum solenniorumq; dierum vices mansit tamen eadem nobis festi memoria, quam à Mosaicis legibus ad augusti-


us

us sibi factum miraculum derivavit antiquitus Christiana Ecclesia, eandem mentis erectionem, sacramq; divini Spiritus venerationem à nobis exposcens. Quod igitur olim pium religionis gaudium quinquaginta integris diebus expromsit vetustas, octiduo postea alio contraxit sequior ætas, id nos amputatis porro feriis, arctiore termino expromamus diligentius, Cives honoratissimi, & hoc, quod hodie sacrum restat nobis, triduo conclusa mysterii divini publica meditatio acrius erumpat in Psalmos & hymnos ad laudem Dei compositos. Colimus in hoc festo auctorem omnis veri perpetuiq; gaudii nostri, & in eum pietatis nostræ meditationes reflectimus, cujus virtute ad illos proficimus. Spiritus Dei est, qui nos ad se erigit: Stemus in hoc solemnī Christiani orbis die erecti à terræ sordibus, spretisque quisquiliis, quæ humiles animos ad se trahunt, sublimioribus cœli adytis caput inserere, & ad digniorem delectatione nostrâ apicem, unde superna descendit gratia, respicere juvabit. Religio majorum, quæ luctus & tristitiæ signa ab hac solennitate festi penitus abesse voluit, docet quàm dulcem esse oporteat fidelibus sensum bonitatis divinæ in hac nobilissimâ spei & resurrectionis nostræ arrhâ, quæ nobis in effuso cœlitis Spiritu S. data est. Facti sumus & nos ejus participes in baptismo, cujus in hoc festo quondam stata administratio nos omnes docet, ut factam olim nostri in hoc lavacro renovationem lætâ memoriâ renovemus, tantumq; hospitem, quem isticnacti sumus, contristatum fortè hæctenq; malis actionibus, denuo ad nos religiosis precib; invitemus. Legis quondã terrorem hoc tempore trepidi experti sunt judæi, nos Apostolico miraculo lætiores, meliora loquentem Spiritus S. gratiam experimur. Ergo quæ illi Deo quondam libamina, arietes, agnos, bovem, hircum obtulerunt, ut typicis sacrificiis minantem placarent, nobis documenta sunt nobilioris eucharistici sacrificii, purâ mente & omnis corporis ad Dei cultum devotione faciendi, quo placato jam & gratiæ suæ ubertate in nos liberali occurramus. Nemo igitur, Cives, has ferias turpi otio, aut gulæ corporisve delitiis, qui multis mos est, contamine, sed omnes potius, ut qui Spiritu Dei regamur, digni melioris testamenti heredes, spiritualibus hymnis atq; jubilis eas sacras festasq; habeamus. P.P. Subs.

*gillo Rector aris ipso Pentecostes die, anno M DC LXXXVII.*

16(9)8





Clavā pentecostes natum esse postea priv  
 studiis festum S. Trinitatis, tum ex Microlo  
 III. rescripto c. 2. de feriis patet. Unde factu  
 norius Augustodunensis seculi XIII. scriptor,  
 septem diebus pentecostem celebrari scripsit  
 et avus S. Trinitati jam sacer esset. M  
 rum dierum pentecostæ adjectorum etiam  
 bus pseudapostolicis, quos altera jejunii  
 cipiatur; sed quos fortè speciali cuidam ejus e  
 in quā vixit ille impostor, qui Clementis Rom  
 ritus est, magis quam universaliter recepta  
 thanasii Apologiā ad Constantium Imperat  
 in ipsā hebdomade post sacram pentecoste  
 rit, sequente dominico die impetum militi  
 recentiores Græci in ipsā vesperā ejus diei,  
 gnificatione pencecoste nobisq; sacer est, re  
 hymnorum & festi gaudio flexos in terram  
 tiones & pœnitentiæ exercitia demittunt,  
 id à Basilio Cæsarensi, magno Græcis cer  
 deducit, qui eā ratione Spiritus S. Deitate  
 nerari se docuerit, hoc tamen reperto in pu  
 miliationis temperamento, ne horā diei ter  
 per Apostolos advenit, hæ supplices preces  
 tinā illā, quā hic sanctus dies secundum  
 di morem jam creditur finitus esse. Desi  
 pentecoste & olim & nunc in ipso quinqu  
 resurrectionis die, apud Latinos quidem m  
 cta in sequentes hebdomadis dies, sed & ipso  
 Cum enim æstivum quatuor temporum jeju  
 rum arbitrio vagatum hactenus auctorit  
 Arvernensis & ex sententiā Gebhardi Halber  
 Synodo quādam Constantiæ habitā (ut er  
 dus Jesuita) paulatim cœpisset ad feriam q  
 pentecostalis affigi, non potuit non octavan  
 secare, ut hodieque illa secta atque truncat  
 rias has temporum solenniorumq; dierum  
 eadem nobis festi memoria, quam à Mosaic



rundam  
 exandri  
 r, ut Ho  
 non nisi  
 empe o  
 festo  
 tutioni  
 inde ex  
 etudini,  
 lli men  
 n ex A  
 t, quod  
 junave  
 Cumq;  
 vocis si  
 o omni  
 applica  
 machus  
 auctore  
 tum ve  
 one hu  
 tis S. su  
 vesper  
 nputan  
 Græcos  
 festum  
 protra  
 ceptos.  
 ecclesia  
 canonis  
 scopi in  
 armon  
 omadis  
 iterum  
 Post va  
 tamen  
 augusti  
 us